

ll.
IO. ANDREAE SEGNERI D.

FAC. MED. H. T. DECANI

INVITATIO

AD

DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
MEDICAM

ET


DESCRIPTIO

LVCERNÆ CVIVSDAM.




GOTTINGAE,

APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.



Lampada nuper construendam curauit meis vſibus;
 quae cum fini, in quem quaesita fuerat, recte re-
 spondeat, rem non ingratam studiosis homini-
 nibus me facturum existimauit, si eam descripsero:
 mihi vero etiam gloriosam, si forte acciderit, vt lu-
 cem ea re praeclaro alicuius operi accenderim. Animus
 fuit ſpatium quadratum, quantum occupare ſolet medio-
 cris menſae tabula, luce viuida, aequali, quaeque nul-
 la, vel quam minima, vmbra interrupta eſſet, ita
 colluſtrare, vt lux ſeſe in conclavis partem reliquam
 non admodum diſfunderet, vt vehementior radius le-
 gentem ſcribentemue nullus offendereſet, fuligo nidor-
 que moleſtus non eſſet, ſumptuſ ad flammam alendam
 quam minimi fierent. Compoſita eam in rem eſt, ex
 ferri laminis ſtanno obductis, pyramis recta, caua,
 baseos quadratae, cuius loco melius etiam vſurpari
 poſſe ex duabus eiusmodi pyramidibus effictum vmbra-
 culum, ABCDE deinde vidi.



Earum pyramidum vtraque, plano basi parallelo fe-
 sta, partem vmbraculo huic praebet. Et maioris
 quidem

quidem pyramidis pars ea, piano per apicem ad basin recto, duobus baseos lateribus parallelo, secta, figuram exhibet ABDE, cui alterius pyramidis pars, cuius, similem in modum sectae, figura est BCD; ita insidet, ut bases aduersae, & rectae per pyramidum apices basibus perpendicularares, congruant. In ea recta CF flamula ardet F, vulgaris candelae flamma paullo minor, cuius lumen in planum AB incidens, vniuersum reflectitur in spatium GH, quae recta in mensae tabula, basibus pyramidum parallela, signatur producto plano ABCDE, quo umbraculum secutum esse concepimus. Qua GH in I bisecta, GI spatium est, in quod ex BC plano reflexa lux flammeae F incidit. Similia his & reliqua plana, e quibus umbraculum componitur, cum efficiant, mensa quadrata, cuius tabulae lateri parallela atque aequalis est GH, praeter eam lucem, quam ex flamma F directam accipit, reflexa ab octo planis luce collustratur, permixta atque aequabiliter distributa, adeoque viuenda, ut non lectio modo & scriptio, sed subtiliori etiam his labori, possit sufficere. Verum latera AB, BC, CD, DE non polita quidem speculorum in modum sunt, sed tamen plana, quantum fieri potest, atque colore viuido. Nobis ipsum stannum satisfecit, quo ferrum, umbraculi materies, obductum est. Verum & charta intus obduci umbraculum potest, vel candida, velle uiter tincta, renouanda facile, si forte a flamma vitium contraxerit. Superior umbraculi pars in tubum definit CK, qui fuliginem, infectamque a flamma aerem, per parietem conclavis perforatum, educat; qua in re & ea commoditas ineit, quod suspendi ab eo tubo & umbraculum & lampas possint, nullam ita mensae partem redditurae inutilem.

Sed

Sed rei caput in positione planorum AB, BC, CD, DE, e quibus umbraculum compositum est, versatur. Plana dico, ne quis deceptus in conicam figuram id incuruet. Praeterea quam enim quod coni superficies circulum illuminet, figuram minus hic convenientem quadrata: viuviorem multo lucem circa axem colligit, quam diffundit in ambitum. Plana autem, quae diximus, ita recte locabis. Sumpto GH, latere quadrati, quod collustrare lubet, ex G per H peripheriam describe LM, aliamque LN ex H per G, quae priorem in L secet. Ex eo puncto L in rectam GH perpendicularē demitte LI, quae eam bifariam secabit. Sumpto deinde loco F, quem centrum flammæ occupet, duc HF, eamque produc ad peripheriam LM in O: connecte GO, perque F age FA parallelam basi GH, quae GO in A puncto secet. Ducta ergo ex A ad HO perpendicularis AB, positionem dabit laterum inferioris pyramidis, & magnitudinem: est enim ex aduersa parte ED eodem modo locanda.

Cum enim ex constructione rectae GH, GO aequales sint, AF vero rectae GH parallela; & AO, AF aequales erant, vnde, quae ex apice A trianguli aequicruri FAO in eius basin FO ad perpendicularē incidit recta AB, eam in B bifariam secuit. Intellige iam AB esse speculum planum. Cum ergo ea sit eius generis speculorum potestas, ut omnem lucem, quae in ea ex puncto aliquo incidit, ita reflectant, quasi emanaret e puncto pone speculum eodem modo locato, quemadmodum punctum lucens positum est ante speculum: futurum vtique est, vti lux ex F in AB incidens, reflectatur, quasi oriretur ex O, qua re in spatium GH diffundetur. Quod etsi AB, & reliqua

plana, specula esse nolimus, eam ob rationem, quod, cum specula difficilius ad normam praescriptam possint componi, paruum in compositione vitium, vel si quid deinde labis accedit, multum ab ea perfectione detrahere potest, quae quaeritur: negari tamen non potest, plana non omnino perpolita, qualia volumus, eo potissimum situ lucem viuidam in aliquem locum proiecere, quo situ, si nihil politurae deesset, quamcunque accepere lucem, in eum transferrent.

Iam vt & BC planum recte colloces, ex G per B duc GB, eamque produc, in P sic, vt BF, BP aequales sint. Connecte FP, eique ex B age perpendicularem BC. Planum ergo, in quo est BC ad FP rectum, omnem lucem ex F incidentem intra angulum GPF reflectet, cum & P pone BC eodem modo positum sit, quo modo F eam rectam ab anterie parte respicit; dabitque adeo BC, eique opposita DC latera minoris pyramidis; spatium vero inter eas rectas apud C interpositum, amplitudinem tubi CK definiet, educendae fuligini seruiturum: qui tamen & amplior paullo vel angustior fieri potest, cum & sic radii, qui rectae PF reflectuntur proximi, a lampade apud F intercipiantur.

Non est prorsus geometrica haec constructio; neque enim locum luminis F determinauimus, a quo & magnitudo vmbraculi, & distantia eius a lumine, & amplitudo tubi C, pendent: cum in his omnibus aliquid consistat, quod vel augere possit eius effectus, vel minuere. Verum facile est, si forte, proprius admoto F ad basin GH, magnum admodum prodire vmbraculum deprehendas, vel cuius latera a flamma F nimium distent, eum errorem, remoto paullum puncto eo, corrigere constructione repetita.

Nos-

Nosque eo magis in tantilla re a sublimioribus constructionibus abstinentum putavimus, quo pauciores sunt, non qui eas teneant, sed qui vel id perspexit, quidnam demum id sit, quod Geometria dicitur, vel, qui maxime obvia eius dogmata ad usus vitae transferre didicerint. Reperta autem per ista sectione ABCDE, quadrilatera, e quibus umbraculum componendum est, facile describentur ab iis, quorum tantilla in his facultas est. Nos basin eius pedali aliquanto maiorem fecimus.

Restat, ut lampadis modum explicemus, umbraculo supponendae. Haec ut applicari apte possit, producenda sunt versus inferiora plana AB, ED ad pollicem fere; tum vascula semicylindrica, diametri duorum pollicum, Q, R, tubo QR, quantum fieri potest angusto, ita connectenda, ut idem tubus in vasculum S pateat, cylindricum, nec maius, quam ut ellychnium capiat: quam in rem semipollicaris diameter, altitudo pollicari minor, sufficiunt. Vascula Q, R commodissime vncis, ad clauos T, V, umbraculo extrinsecus adfixos, appendentur: reliqua ita commensurata esse necesse est, ut appensa ita lampade, atque accenso ellychnio, flammae medium in F punctum cadat, margines cisternarum Q, R supra supremam oram vasculi S emineant. Infundetur enim oleum his cisternis, a quibus per tubum QR in vasculum S deriuabitur: quod dum fit, non plane repleri cisternas, conuenit. Verum haec & reliqua usus quemque facile docebit; nos ad commendandum candidatum honorum medicinalium, Virum clarissimum

CHRISTOPHORVM FICKEL
accedimus.

Na-

Natus est *Mersburgi*, Anno ccccxxvi, die II Mensis Augusti, patre viro meritissimo; CHRISTOPHORO FICKEL, qui breui post tempore *Halam* euocatus Magdeburgicam, Praeceptoris in Orphanotrophio munere functus est. Vnde, cum admodum pueri sibi parentes morte essent erexit, inter alumnos eius domus est receptus. In qua perceptis, quae pueris adolescentibusque impertiri solent, deinde in ciuum academicorum numerum relatus, Medicos illustres, celebrimos, HOFFMANNVM, ALBERTIVM, SCHVLTZIVM, IVNCKERVM, BASSIVM, CASSEBOOMIVM, audiuit, quaecunque ad artem pertinent, explicantes, quibus philosophemata, quae proprius ad eam spectare visa sunt, v. c. LANGIO atque BAVMGARTENO ducibus, iunxit. Inde cum *Longo-salissam* sedem elegerit, ad nos digressus, supremos artis honores a facultate petiit. Examinatus est, probauit profectus, dissertationem praeside Cel. HALLERO habebit de *Vasis bronchialibus*, ante diem 20. Nou.

ad quam MAGNIFICVM, CVM SENATV, PRORECTOREM, HOSPITES, CIVES GENEROSISSIMOS, NOBILISSIMOS, facultatis nomine officiose atque humaniter inuito. P.P. d. XXVII. Novembr. ccccxxxix.



00 A 6274

ULB Halle
002 913 380

3



56

VDA 8

Rheo

B.I.G.


Black
White
3/Color

Magenta
Red

Yellow
Green

Cyan
Blue

Farbkarte #13



IO. ANDREAE SEGNERI D.
FAC. MED. H. T. DECANI
INVITATIO
AD
DISSERTATIONEM IN AVGVRALEM
MEDICAM
ET
DESCRIPTIO
LV CERNAE CVIVSDAM.



GOTTINGAE,

APVD A. VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.